529

HB 18 14(92)

PRÆSTANTISSIMO DOMINO,

AMABILISSIMOQUE VIRO

FRANCISCO MENDES PIMENTEL,

IN

Conimbricenſi Sede Canonico Doctorali, in cauſis Fidei incorruptiſſimo Judice, Olim in Regali Divi Pauli Collegio Emeritiſſimo Collega, Patruoque ſuo colendiſſimo,

IN

Amoris pignus,

IN

Perpetuæ gratitudinis obſequium

D. V. & C.

52?
H
8
18
14(92)

530

PRO PRIMO
LITERARUM EXAMINE SUBEUNDO,
PONTIFICIAS CONCLUSIONES DEDUCTAS
EX
NOTATIS AD PERDIFFICILEM,
perutilemque materiam de Teſtamentis,

Auſpicante

NOBILISSIMO, AC SAPIENTISSIMO DOMINO D.

ANTONIO TEIXEYRA ALVARES,

CÆSAREÆ NUPER JURISPRUDENTIÆ VESPERArio ſubtiliſſimo, nunc Pontificiæ Primario emeritiſſimo, utramque facultatem nitidè exornante, à Conſiliis noſtri Auguſtiſſimi Regis conſiliario prudentiſſimo, in ſupremo Palatino Senatu integerrimo Senatore, in cauſis Fidei probatiſſimo Judice, in Pharenſi Sede Canonico Doctorali graviſſimo, in Regali Divi Pauli Collegio olim Collega, & Sæpius Rectore vigilantiſſimo, nec non hujus Academiæ nuper Vice-Rectore digniſſimo, ad maiora pro meritis evehendo;

Defenſurus
LUDOVICUS COELHO PIMENTEL,

Suo quinto Juris Canonici anno die 10 hujus menſis hora 3. vesp. ad

PRINCIPALITER
DISPUTABITUR:

Utrùm *Servus à domino ſuo cum libertate inſtitutus ei heres neceſſarius exiſtat?*
Affirmativè.

PRO SERVI PROPRIJ INSTITUTIONE.

1 ANTE Imperatoris Juſtiniani conſtitutionem, ut ſervus proprius liber, & neceſſarius heres domino ſuo exiſteret, debebat ab ipſo domino cũ libertate expreſsè data, heres inſtitui.

2 Servus à domino ſuo cum libertate inſtitutus heres, liber, & neceſſarius, heres ei exiſtit.

3 Servus, cui fideicommiſſaria libertas debetur, heres cum libertate inſtitutus ab eo, qui gravatus fuit fideicommiſſaria libertate danda ei, neceſſarius heres non exiſtit; imò ejus hereditatem ſuo arbitrio adit.

4 Servus, qui pupillo à parente, dominoque ipſius ſervi cum libertate ſubſtitutus fuit, poſteaque à pupillo venditus, ſi ab emptore heres cum libertate inſtituatur, dũ ex ſubſtitutione pupillari heres eſſe poteſt, emptori neceſſarius heres non exiſtit.

5 Servus proprius à domino cum libertate inſtitutus, ipſo domino mortuo, ipſo jure, & legis poteſtate abſque ulla additione neceſſarius heres exiſtit.

6 Quod etiam procedit, licet ex parte hereditatis ſervus à domino inſtitutus ſit; quamvis adhuc tabulæ non ſint apertæ.

7 Servus proprius à domino ſuo heres purè inſtitutus, & libertas ſub conditione data, vel contra, conditio in libertate poſita, in inſtitutione repetita cenſetur, vel contra.

8 Quod etiam dicendum eſt, quando ſervo proprio legatum purè relinquitur, libertas vero ſub conditione datur, quod conditio in libertate poſita, in legato repetita cenſeatur.

9 Conditio vero poſita in perſona heredis inſtituti, in perſona ſubſtituti repetita non cenſetur.

10 Servus proprius à domino ſuo heres cum libertate inſtitutus, ut liber, & heres neceſſarius domino exiſtat, debet in eadem cauſa permanere; nam ſi vivo teſtatore alienatus, vel manumiſſus ſit, domino neceſſarius heres non exiſtit: ſiquidem, ſi alienatus fuerit, juſſu novi domini hereditatem adit; ſi vero manumiſſus, arbitrio ſuo eam acquirit.

11 Dominus, qui tantummodo habet in ſervo nudam proprietatem,

tem, ſi eum cum libertate heredem inſtituat, ſervus liber, & neceſſarius heres domino exiſtit, quod uſufructuario, utpote non domino, non permittitur.

12 Servus proprius pignori datus, heres à domino debitore cum libertate inſtitutus, ei neceſſarius heres, & liber exiſtit.

13 Servus communis ab uno ex condominis heres cum libertate inſtitutus, ſi partes cæterorum ſociorum ab ipſo domino inſtituente redimantur, ſervus liber, & neceſſarius heres ei exiſtit.

14 Dominus, qui ſervum ſuum apud hoſtes detentum habet, poteſt eum cum libertate inſtituere heredem, ita ut, quod ſi ab hoſtibus reverſus fuerit ſervus, liber, & neceſſarius heres domino exiſtat.

15 Servus à domino ſuo cum libertate inſtitutus, ut liber, & neceſſarius ei exiſtat heres, debet ab eo hereditatem, & libertatem in eodem gradu recipere.

16 Servus de adulterio cum domina commiſſo maculatus, ſi ab ipſa heres cum libertate inſtitutus ſit, neque liber, neque heres neceſſarius ei exiſtit, imò & inſtitutio, & libertas pro non ſcriptis habentur.

17 Poſt novam Imperatoris Juſtiniani conſtitutionem, ſervus à domino ſuo ſimpliciter, & abſque expreſſa datione libertatis, liber, & neceſſarius heres domino exiſtit.

18 Quod jam ante prædictam Juſtiniani conſtitutionem ita ſe habebat in milite; licebat enim ei ſervum proprium ſimpliciter heredem inſtituere, ita ut ſervus ex ipſa inſtitutione ſimpliciter à milite facta, liber, & ei neceſſarius heres exiſteret.

19 Etiam debitori, qui ſolvendo non erat, ante prædictam Juſtiniani conſtitutionem licebat ſervum proprium ſimpliciter heredem inſtituere, ita ut ex ipſa inſtitutione ſimpliciter facta, liber, & neceſſarius heres domino debitori exiſteret.

20 Servus communis ab uno ex condominis heres inſtitutus, ut liber, & neceſſarius heres ei exiſtat, ſecundum ſententiam communem DD. etiam poſt Juſtiniani conſtitutionem, debet cum libertate expreſſe data, inſtitui.

PRO

H B 18 14(93)

PRO SERVI ALIENI INSTITUTIONE.

21 SERVUS alienus poteſt à quolibet extraneo heres inſtitui, dummodo cum domino ipſius ſervi teſtamenti factio ſit.

22 Servus alienus, ſi cum ejus domino teſtamenti factio non ſit, nec ſub hac conditione *cum liber erit*, heres ab aliquo extraneo inſtutui poteſt.

23 Etiam, ut legatum ſervo alieno relinqui valeat, debet cum ejus domino teſtamenti factio eſſe.

24 Fideicommiſſum relictum ſervo illius, cum quo teſtamenti factio non eſt, ſi tempore mortis teſtatoris talis ſervus cum domino, qui factionem teſtamenti habeat, reperiatur, abſque dubio fideicommiſſum acquirit.

25 Servus communis ab extraneo heres inſtitutus à condominis ſuis, ſecundum portiones dominuas, ad acquirendam hereditatem capacitatur, & eis, quorum juſſu adierit, ſecundum eaſdem portiones hereditatem acquirit.

26 Servus communis ab extraneo heres inſtitutus, ſi juſſu unius ex condominis adierit, & cæterorum juſſu repudiaverit, partes repudiatæ domino adire jubenti accreſcunt.

27 De jure noſtro regio, confirmato matrimonio per copulam, ſi ſervus conjugum heres ab aliquo extraneo inſtituatur, ad utrumque eorum hereditatem acquirit, & ab utroque eorum ad eam acquirendam capacitatur.

CONIMBRICÆ.

Ex Typographia in REGALI ARTIUM COLLEGIO Soc. JESU,
Anno Domini 1717.
Cum facultate Superiorum.

Conclusiones Iuris Civilis